



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PUNALURENSIS** IN INDICA NATIONE NOVA
DIOECESIS

CONSTITUITUR, NOMINE «PUNALURENSIS» Verba Christi adoranda : « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae . . . » (Mc 16, 15) tantopere hanc apostolicam Sedem movent matrem omnium Ecclesiarum, ut non solum provideat ut sanctissima Christi religio quam latissime propagetur, verum ut ea omnia apparentur, quae eius propagationem adiuvent ac expediant : consueverunt enim saepe res magnae parvis in rebus consistere. Qua re, cum venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi consilium ceperint novae dioecesis constituendae in Indica Natione, detractis nempe nonnullis territoriis e circumscriptione Quilonensi, Nos, re mature considerata, bene fieri censuimus, si eorum opinioni accederemus. Quae cum ita sint, iis auditis, quorum interesset, apostolica Nostra potestate quae sequuntur decernimus. Distractos civiles districtus (Taluks) « Pathanamathitta » et « Pathanapuram »; item partes civilium districtuum (Taluks) vulgo « Bottarakare », « Bunnathur », « Mavelikara » et « Chengannur » a dioecesi Quilonensi, in novae dioecesis formam redigimus *Punalurensis* appellandae, a nomine scilicet urbis Punalur. Via igitur principalis (Main Central Road) territorium dioecesis Quilonensis a septemtrione versus meridiem dividens, limes erit in posterum inter duas dioeceses, ut territorium quod in occidentem vergit Quilonensi remaneat, quod vero ad orientem, novam dioecesim Punalurensis constituat. Novae Ecclesiae sedem in urbe Punalur poni volumus, cuius in principi templo cathedram episcopalem collocari. Eadem praeterea suffraganea erit metropolitanae Sedi Verapolitanae. Statuimus insuper ut Episcopus, cui continget gubernanda, pro Canonicis Consultores dioecesanos eligat, in suum ipsius auxilium atque consilium. Ceterum Venerabilis Frater Augustinus Cacciavillan, Archiepiscopus titulo Amiterninus, idemque in India Pro-Nuntius Apostolicus, haec omnia ad effectum deducet atque documenta exarabit, quorum exemplar fide dignum ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittet rite subscriptum. Poterit etiam si visum, alium virum legare, modo in ecclesiastica dignitate constitutum. Contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die una et vicesima mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quinto, Pontificatus Nostri octavo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXVIII (1986), n. 5, pp. 404-405

© Copyright 1985- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana